

[II m 6]

[II m 6]

NOVIMUS QUANTAS metrum sextum quod dicitur Saphicum (de quo dictum est supra metro tercio) in quo per exemplum manifestat quiddam¹ dictum supra¹ scilicet quod dignitates et potestates eueniunt malis quia euenerunt Neroni, qui fuit pessimus homo sicut ex gestis eius patet que tanguntur in littera et tanto peior quanto potencior. Et circa hoc duo facit. Primo docet maliciam Neronis. Secundo plangit coniunctionem potencie cum malicia ibi (16) HEU GRAVEM. Circa primum aduertendum quod pauca facta crudelitatis Neronis respectu eorum que in gestis narrantur hic ponuntur. Tangit tamen quatuor quorum primum erat quod Urbem Romanam incendit et arsit per septem dies et septem noctes ut eius spectaculi ymagine ~~actione~~ cerneret quale erat olim quando Troia capta arserat. Secundum erat quod magnam partem senatus sine ulla causa exstante³ interfecit. Tercium quod fratrem suum Caligulam dictum occidit ut solus securius regnaret. Quartum quod matrem suam occidi fecit ut uideret in quo loco in uentre eius iacuit. Dicit ergo (1) NOVIMUS QUANTAS RUINAS⁴ DEDERIT URBE FLAMMATA PATRIBUSQUE id est senatoribus CESIS id est occisis ILLE FERUS id est crudelis QUI INTEREMPTO QUONDAM FRATRE⁵ MADUIT CRUORE EFFUSO MATRIS.

1 quiddam dictum supra O quiddam dictum est supra J quoddam dictum supra R quoddam dictum P / 2 ymagine RD ymagine J ymagine O yimaginacione P / 3 exstante JO astante R existente P / 4 ruinas ruinas J / 5 fratre om. fre' q in mg. alia manus ut uid. suppl. J /

Crudelitatem autem eius circa matrem designans dicit (4) ET IPSE
NERO PERERRANS VISU GELIDUM CORPUS scilicet matris NON TINXIT
 ORA LACRIMIS SED POTUIT scilicet sine motu doloris ESSE CENSOR
 id est iudex EXTINCTI DECORIS id est matris interfecte dicens:
 pulcra fuit. (8) HIC TAMEN scilicet Nero licet ita malus esset
 POPULOS REGEBAT SCEPTRO id est imperiali dignitate et ostendens⁶
 quos populos dicit quod⁷ illos (9) QUOS⁷ PHEBUS id est sol VENIENS
 AB ORTU EXTREMO VIDET CONDENS id est abscondens RADIOS SUB UNDAS.
 More poetarum loquitur quasi diceret omnes populos qui sunt ab
 ortu solis usque ad occasum et similiter⁸ regebat illos populos
 (11) QUOS⁹ SEPTENTRIONES id est septem stelle que sunt in Maiore¹⁰
 Ursa que dicuntur triones quasi teriones id est boues quia terram
 terunt et sunt due dicciones unde non est ibi themesis ut quidam¹¹
 dicunt sed¹² si singulariter¹² poneretur foret themesis GELIDI
 PREMUNT id est regebat omnes populos aquilonares et illos (12)
 QUOS NOTHUS qui est uentus collateralis Austro: ponitur pro plaga
 australi mundi VIOLENTUS TORRET RECOQUENS¹³ HARENAS ARDENTES

6 ostendens RPO offendens J / 7 quod illos quos J0 quos illos
 quos R quod P / 8 similiter RPO se^r J / 9 quos RPO quo J /
 10 maiori R0 maiore P mari J / 11 quidam RPO quidem J /
 12 sed si singulariter P0 sed singulariter RJ / 13 recoquens P
 requoquens RJ retorquens O /

[II m 6]

SICCO ESTU uenit enim hic uentus a torida zona et ideo est calidus quasi diceret regebat omnes populos australes et sic per plagas quatuor mundi docet ipsum habere potestatem super omnes populos.¹⁴ (14) NUM TANDEM CELSA POTESTAS id est tam magna potestas sicut modo descripta¹⁵ est VALUIT VERTERE RABDEM id est crudelitatem PRAVI NERONIS ? quasi diceret non. Deinde cum dicit (16) HEU GRAVEM plangit coniunctionem magne potestatis¹⁶ cum magna malicia quia ex hoc multa mala¹⁷ proueniunt, unde dicit HEU GRAVEM SORTEM scilicet dico esse illam¹⁸ QUOCIENS GLADIUS INIQUUS id est potestas exercendi gladium iniquum¹⁹ ADDITUR SEVO VENENO id est uenenose crudelitati.

[II p 7]

TUM EGO prosa septima. Ostendit Philosophia supra quod diuicie potencia dignitas non sunt multum appetenda. Hic ostendit idem de gloria. Et circa hoc duo facit. Primo enim docet gloriam non multum appetendam. Secundo qua consideracione homo inducitur ad contempnendam gloriam metro septimo ibi QUICUMQUE SOLAM. Circa primum duo facit. Primo enim inducit Boecium se a predictorum

14 proprios J / 15 descripta RPO scripta J / 16 potestatis P0
 potencie (po^e) R potentis J / 17 multa mala R0 multa male J
 multa P / 18 esse illam RPO illam esse J / 19 iniqus J /